

INCIPIIT AD TIMOTHEUM I

¹ Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ,*

² Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.†

³ Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent,‡

⁴ neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis

* **1:1 Argumentum** Timotheum instruit et docet de ordinatione episcopatus, et diaconii, et omnis ecclesiasticæ disciplinæ, scribens ei a Laodicea per Tychichum diaconem. † **1:2 Gratia, et misericordia, et pax a Deo Patre.** In hac salutatione tria ponit, quæ exoptat, cum in aliis tantum duo posuerit. **Misericordia** hic accipitur pro eo quod in aliis epistolis gratia dicitur, id est remissio peccatorum. **Pax** est tranquillitas animi, prælibatio æternæ pacis. Hæc communiter omnibus optari solet. **Gratia** vero quam hic addit, episcopis optatur, id est donatio Spiritus sancti, qua ministri Dei armantur. ‡ **1:3 Sicut rogavi.** Post salutationem prius de pseudo repellendis: incipit hic legem adhuc tenendam docentibus. **Rogavi.** AMBR. Dicit **rogavi**, ut affectum charitatis, et formam humilitatis ostenderet. **Fabulis et genealogiis.** AUG., lib. II contra adversarios legis et Proph., c. 1. Hæreticus quidam inimicus legis et prophetarum, existimat Apostolum hoc loco divina eloquia fabulas appellasse, etc., usque ad quod nusquam sacra pagina narrat.

quam ædificationem Dei, quæ est in fide. §

⁵ Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. **

⁶ A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, ††

⁷ volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

⁸ Scimus autem quia bona est lex si quis ea

§ **1:4 Genealogiis.** Genealogiæ erant quibus quidam Judæi narrabant se esse de genere Abrahæ et David: quasi inde eis deberetur, vel quibus narrabant Christum non esse ex David oriundum. ** **1:5 Finis autem.** In fide est ædificatio Dei, quia ex fide est spes, et inde caritas, quæ est adimpletio legis. Vel sic construe: Quidam docent et intendunt fabulis et genealogiis, sed finis et impletio legis est caritas, quare non est opus aliis. **Præcepti.** Dicitur *præcepti*, pro præceptorum, quorum impletio est dilectio Dei et proximi. Unde: **In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ** Matth. 22.. AUG., in psal. 31. Finis dicitur terminus, etc., usque ad cupiditas ergo refrenetur, caritas excitetur. **Conscientia bona.** Conscientia pro spe. Ille enim ad id quod diligit se perventurum desperat, cui malæ conscientiæ serupulus inest. **Et fide non ficta.** Vel, non fictili et fragili, vel, in qua non quisque sibi quodlibet fingit, sed catholica duntaxat. †† **1:6 A quibus.** Improbatur hic adversarios, qui legalia tradebant. **Non intelligentes,** etc. Si quando enim de prava et falsa opinione sua reprehendi et convinci cœperint, ad defendendum id quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, de sanctis libris multa verba pronuntiant, volentes esse legis doctores, cum tamen non intelligant quæ loquuntur, vel de quibus.

legitime utatur:‡‡

⁹ sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, et non subditiis, impiis, et peccatoribus, sceleratis, et contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis,

¹⁰ fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur,

¹¹ quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

¹² Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio:§§

‡‡ **1:8 Scimus autem.** Ne videretur legem incusare, addit: **Scimus autem,** etc. Sed ne iterum videatur eam inducere, subjungit: **Scientes hoc, quia justo non est lex posita:** quia non ex ea est justus, sed ex fide. Ad quid igitur ei necessaria est lex? Ideo data est, ut vel reum puniret, vel peccare volentem cœrceret. Justus tamen, et si ea non eget, utitur, ut sic esset in auctoritate aliis, et futura attestaretur factis. **Legitime utatur.** Qui scit ad tempus datam esse legem et sub Christo deserit. Jam justis per remissionem non est opus lege, a qua liberi sunt per Christum. Lege autem legitime utendi multiplex est modus, ut secundum aliud justus, et secundum aliud injustus recte dicatur legitime uti lege. Injustus enim ea legitime utitur, quando intelligens quare data sit, ejus comminatione tanquam pædagogo perducitur ad gratiam, per quam justus fiat. Justus vero et illa legitime utitur, cum eam tenendo injustis imponit, ut cum injustis cœperit inolitæ concupiscentiæ morbus incentivo prohibitionis, et cumulo prævaricationis augeri, confugiant ad justificantem gratiam, et per eam suavitate justitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.

§§ **1:12 Gratias ago ei qui,** etc. Hic ostendit mala sibi fuisse in lege. Bona vero ea; dimissa, quod fidelis est, et positus in ministerio, unde et fortis: per quæ ostendit legem post Evangelium inutiliter duci.

13 qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.***

14 Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quæ est in Christo Jesu.†††

15 Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.‡‡‡

16 Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui

*** **1:13 Sed misericordiam Dei.** Consequuntur misericordiam et qui scienter peccant, ut David, et qui ignoranter, quod facilius ignoscitur. **Misericordiam consecutus sum,** ex eo quod ignorans feci. Vel ignorantiae ponitur causa misericordiae non tamen proprie, cum mala fuerit ignorantia, misericordia vero gratuita. ††† **1:14 Superabundavit.** Super majora bona quam olim mala. Quia non solum peccata dimisit, sed fidem et dilectionem dedit. De quibus nulli est ambigendum: **Quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.** Et iste **sermo est fidelis,** id est verus et acceptabilis, quia utilis. ‡‡‡ **1:15 Omni acceptione,** quia corpus et animam salvat. Vel, humanus est sermo iste. Alia littera: **Ut non dicam divinus,** quia si homo qui hospitio suscipit hominem, humanus dicitur, quanto magis humanus est qui in seipso suscipit hominem. **Quia Christus Jesus.** Nulla causa veniendi fuit Christo, nisi quod peccatores salvos faceret. **Primus.** Id est pejor, quia persecutor, quo prior non erat: Nemo enim acrior inter persecutores, ergo nemo prior inter peccatores, primus ergo erat non ordine temporis, sed magnitudine iniquitatis.

creditori sunt illi, in vitam æternam. §§§

¹⁷ Regi autem sæculorum immortalis, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.

Amen.*

¹⁸ Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, †

¹⁹ habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: ‡

§§§ **1:16 Sed idcirco misericordiam,** etc. Cæterum idcirco misericordiam se fuisse consecutum iudicat, ut nemo jam peccator quibuslibet sceleribus pressus, de se desperet, imo eandem se consecuturum veniam hoc exemplo præsumat: magnum valde ac revera ingens est donum. **In me.** Quem idoneum Deus gentibus prædicatorem constituit, in quo tantum exemplum misericordiæ suæ exhibuit. * **1:17 Invisibili.** Quia cæteri dii sunt visibiles. Non dicitur **soli invisibili,** quia sunt et creaturæ quædam invisibiles, ut anima, quæ tamen sensu capi possunt: quia omnes vires ejus possunt cognosci, sed ea non est nobis Deus. Invisibilis est ergo ab hominibus Deus in natura, secundum illud: **Deum nemo vidit unquam.** Videtur autem cum vult et sicut vult, non sicut est, sed quasi specie vult apparere. In futuro vero videbunt eum filii sicut est. **Soli Deo.** Qui solus Deus est natura, id est, solus creat, quod de ipsa Trinitate intelligitur, non de solo Patre, ut quidam volunt: quia non ait, soli Patri, sed soli Deo. Unus enim et solus Deus a nobis prædicatur ipsa Trinitas. Et unigenitus, secundum quod est Deus apud Deum, et Spiritus sanctus in sua natura est immortalis et invisibilis. † **1:18 Hoc præceptum.** Postquam commemoravit quæ et quanta sint beneficia Patris et Christi erga peccatores, quomodo populum imbuat disciplina ecclesiastica ostendit. ‡ **1:19 Conscientiam.** Vocat cogitationes, in quibus summopere humilitas servanda est, qua spreta in magnos quidam devenerunt errores, sicut in principio ad Romanos ostensum est.

²⁰ ex quibus est Hymenæus, et Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. §

2

¹ Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes,

§ **1:20 Quos tradidi.** Utrumque Apostolus excommunicavit, ut hoc modo excludatur a Satana regnum Satanæ. Nulla enim creatura est, sive quæ in veritate manet dans Deo gloriam, sive quæ in charitate non stetit quærens gloriam suam quæ, velit nolit, divinæ providentiæ non serviat. Sed volens facit cum illa quod bonum est. De illa vero quæ hoc non vult, fit quod justum est. Non ei tamen rependitur quod de ipsa juste fit, sed quo animo ipsa facit, quia neque liberam voluntatem rationabili creaturæ Deus negavit, sed potestatem qua injustos juste ordinat sibi retinuit. **Tradidi.** Non tamen ita ut pereant, quia nihil potest Satanus, nisi permissus, qui vexat sibi datos, unde: **Jam noli peccare, ne deterius tibi contingat** Joan. 5.. Itaque Satana ad correptionem hominum utebatur ipsa potestas apostolica. Prævaricatores enim angeli cum principe suo diabolo recte dicuntur procuratores, vel actores divinæ providentiæ, et diabolus magistratus hujus mundi dicitur, sed magistratus sub Deo imperatore non facit nisi quantum illi permittitur, et procuratores actoresque hujus mundi nihil faciunt nisi quantum Dominus sinit.

gratiarum actiones, pro omnibus hominibus:*

² pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate:

³ hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo,†

⁴ qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.‡

⁵ Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus:

⁶ qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis:

* **2:1 Obsecro.** Hactenus de pseudo-apostolis, hic de orationibus. **Primo omnium.** Id est, ante omnia fieri obsecrationes. Ordo missæ hic ostenditur quod est speciale genus orationis. **Obsecrationes.** Sive precationem illam quæ fit juxta vel ante consecrationem. **Orationes.** Id est ipsa consecratione. **Postulationes.** Vel interpellationes, quasi ex debito ut quod hic geritur, in æterna vita perficiatur, ut cum populus ab episcopo benedicitur. **Gratiarum actiones.** De factis, quæ totum concludunt quasi totum sit a Deo: ut benedicamus Domino. **Pro omnibus.** Ut sequamur clementiam Dei, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, etsi secundum justitiam quosdam reprobet. **Ut quietam** a persecutione. † **2:3 Hoc enim.** Ne quis putaret hæc non esse facienda pro his quos patitur Ecclesia addit: **Hoc enim bonum est.** Et ne quis putaret cultu unius Dei et vita bona salutem esse posse sine participatione corporis Christi, id est sine fide Ecclesiæ. **Unus,** inquit, **Deus, unus et mediator;** ut omnes homines salvari nunquam fiat nisi per mediatorem Deum Verbum quod semper erat, secundum tamen carnem, factum est. ‡ **2:4 Mediator Dei,** etc. Hic est arbiter ille, quem Job desiderat, dicens: **Utinam esset nobis arbiter.** AUG., lib. IX de Civit. Dei, c. 15. Mediator inter Deum et homines, oportebat ut aliquid haberet simile Deo, etc., usque ad alius bonus, qui reconciliat inimicos, Jesus Christus.

⁷ in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide, et veritate. §

⁸ Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. **

⁹ Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritas, vel veste pretiosa: ††

¹⁰ sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

¹¹ Mulier in silentio discat cum omni subjectione. ††

¹² Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: sed esse in silentio. §§

§ **2:7 Et veritate** Futura veritas est res et merces fidei. Quæris, mercedem? fides præcedat. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? fides ergo est, quod non vides credere. Veritas, quæ credidisti videre. ** **2:8 Volo ergo viros,** etc. AUG., serm. 93 de Tempore. Levavit Christus pro nobis manus suas in cruce, etc., usque ad ut veniant tibi in mentem opera tua. **Ira,** ad proximum; **disceptatione,** ad Deum. †† **2:9 Non in tortis,** etc. Ne his omnibus ultra personæ suæ modum et mores occasioni movendæ concupiscentiæ studeant, sed potius per omnia bona opera sint promittentes et indicantes extra pietatem animi. †† **2:11 Mulier in silentio.** Orandi officium dixit convenire omnibus, et qualiter, et pro quibus, et quare, et quod ubique orandum sit. Nunc dicit, quod docendi officium solis viris conveniat, et quales ad illud debeant ordinari, determinat. §§ **2:12 Docere,** etc. Ecce non solum habitum humilem et honestum habere mulierem docuit, verum etiam auctoritatem docendi ei negavit, et subjiciendam viro præcepit, ut tam habitu quam obsequiis, sub potestate sit viri ex quo trahit originem.

13 Adam enim primus formatus est: deinde Heva:

14 et Adam non est seductus: mulier autem seducta in prævaricatione fuit.***

15 Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.†††

3

1 Fidelis sermo: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

2 Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem,

*** 2:14 **Adam non est.** AUG., lib. II de Gen. ad litteram, c. ult. Cum enim prævaricatorem dicat Apostolus in similitudine prævaricationis Adæ, etc., usque ad nullo modo illum arbitror potuisse seduci. ††† 2:15 **Salvabitur:** Etsi mulier fuit causa peccati, tamen salvabitur non solum virgo et continens, sed etiam nupta, etsi nunquam ab opere nuptiarum cessans, si **per generationem filiorum**, incedens, ab hoc mundo exierit. **Si permanserit in fide et dilectione et sanctificatione**, ut præter proprium virum alterum non cognoscat. **Cum sobrietate.** Id est temperantia, ut proprio etiam viro temperate utatur. * 3:1 **Bonum opus desiderat.** Opus, non dignitatem, laborem, non delicias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, ut fiat servus et minister hominum propter Christum, ut etiam intermissa Rachele decora facie, sed non relicta, cum Jacob intret ad Liam oculis lippam, et de monte cum Moyse descendat ad campos, de otio contemplationis ad laborem actionis.

ornatum, pudicum, hospitem, doctorem,†

³ non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed‡

⁴ suæ domui bene præpositum: filios habentem subditos cum omni castitate.

⁵ Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

⁶ Non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. §

⁷ Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

⁸ Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes:

⁹ habentes mysterium fidei in conscientia pura.

¹⁰ Et hi autem probentur primum: et sic

† **3:2 Irreprehensibilem.** Idem quod ad Titum, *sine crimine*. Res pene contra naturam, ut *sine peccato*: sed eligatur, cujus comparatio cæteri grex dicantur. *Unius uxoris virum*, etc. Id est monogamum post baptismum. Si enim et ante conjugem habuit quæ obierit, non ei imputatur, cui prorsus novo, nec stupra, nec alia quæ ante fuerunt jam obsunt. *Sobrium*, etc. Ministri templi prohibentur vinum et siceram bibere, ne ebrietate graventur corda eorum, et ut sensus vigeat, semper tenuis sit. ‡ **3:3 Non cupidum.** Nihil præter victum et vestitum quærentem. § **3:6 Ne in superbiam.** Nescit momentaneus sacerdos humilitatem, modos personarum, vel se contemnere non jejnavit, non flevit, non se correxerat, non pauperibus erogavit. In arrogantiam, quæ est ruina diaboli, incidunt qui puncto horæ necdum discipuli, fiunt magistri. *Oportet autem*, etc. Hæc clausula congruit principio, quod irreprehensibilis sit non solum a domesticis, sed ab alienis, Judæis, gentibus, hæreticis, ut qui religioni detrahunt, juri ejus detrahare non audeant.

ministrent, nullum crimen habentes.**

¹¹ Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.

¹² Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsent, et suis domibus.

¹³ Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

¹⁴ Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito:

¹⁵ si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.††

¹⁶ Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.‡‡

4

¹ Spiritus autem manifeste dicit, quia in

** **3:10 Nullum,** etc. Crimen est peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum. †† **3:15 Ecclesia.** Multorum convocatio ad unius Dei cultum. **Columna veritatis.** In se bene sustinens veritatem ne corruat, licet tribuletur. ‡‡ **3:16 Apparuit angelis.** Non in Deo tantum innotescit angelis quod absconditum est, sed et hic apparet eis, cum efficitur atque propalatur; ideo dicitur apparuisse angelis non jam in forma humilitatis sed in potestate; qui ergo prius visus humilis, devicta morte, in majestate apparuit, ut agnoscentes angeli mysterium quod prius latuit, declaratum in carne, genu illi flectentes quasi Deo gratias agant, quia didicerant veritatem. **In mundo.** Ut perfidia mundi veniam erroris mereri non possit. Sicut Dominus dicit de Judæis: **Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent,** etc. Joan. 15..

novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum,*

² in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam,†

³ prohibentium nubere, abstinere a cibis, quod Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem.‡

⁴ Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur:

⁵ sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem.§

⁶ Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecutus es.

⁷ Ineptas autem, et aniles fabulas devita: exerce autem te ipsum ad pietatem.

⁸ Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et

* **4:1 Spiritus autem manifeste dicit.** Quæ sibi futura Spiritus sanctus revelaverit ad instructionem et cautelam Ecclesiæ; non tacet dicens futuros pestiferæ doctrinæ viros, ut præmonita Ecclesia sit sollicita, ne ab hujusmodi hominibus circumveniatur, quasi dicat: Ita est digna domus Dei, sed **Spiritus manifeste dicit.** Et ideo pro ejus sublimitate ne curam deponas. † **4:2 Cauteriatam.** Cauterium est ferrum a cavendo dictum. ‡ **4:3 Quos Deus creavit.** Hæc doctrina sanctorum, illa dæmoniorum. § **4:5 Sanctificatur.** Sanctus fit cibus et salubris, non noxius animæ vel corpori, verbum sanctificat, oratio impetrat, diabolus vero per cibum tentat.

futuræ.**

⁹ Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.

¹⁰ In hoc enim laboramus, et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.

¹¹ Præcipe hæc, et doce.††

¹² Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.

¹³ Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ.

¹⁴ Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.‡‡

¹⁵ Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

¹⁶ Attende tibi, et doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

** **4:8 Nam corporalis.** Datur hic intelligi quod vigiliis, jejuniis, orationibus et bonis operibus se exercebat Timotheus, non adeo intentus operibus misericordiæ. **Pietas,** quæ operatur bona fratribus et valet ad promerendum Deum. †† **4:11 Præcipe hæc.** Monet eum, ut profectus ejus per omnia exemplum esset aliis, ut in adolescente mirabilis videretur, et gravis disciplina, ut actus ejus excusarent - et non quasi juvenis sed quasi senior habeatur, et erubescerent majores natu, si non exhiberent se juxta formam hujus, conversatione et moribus graves. ‡‡ **4:14 Prophetiam.** Vocavit prophetiam inspirationem sancti Spiritus, per quam præsciebat quid de hoc et de cæteris esset acturus. Ideo ait: **Quæ data est tibi per prophetiam:** quia Spiritu revelante cognovit Apostolus Timotheum esse dignum episcopali honore. **Presbyteri.** Pro **presbyterorum,** quia minus tribus esse non possunt. Et vocat presbyterum, episcopum; vel quia unus manus imponit cæteris assentientibus.

5

¹ Seniore[m] ne increpaveris, sed obsecra ut patrem: juvenes, ut fratres:*

² anus, ut matres: juvenculas, ut sorores in omni castitate:†

³ viduas honora, quæ vere viduæ sunt.‡

⁴ Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo.§

⁵ Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte ac die.**

⁶ Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.††

⁷ Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.

⁸ Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit,

* **5:1 Seniore[m] ne increpaveris.** Ne, indigne ferens se a minore correctum, magis exasperetur quam proficiat. † **5:2 Ut sorores.** Ut videntes se amoris causa commoneri, facilius se corrigant. **In omni castitate.** In alloquio juvenicularum recte juvenis de castitate admonetur. ‡ **5:3 Viduas honora quæ vere viduæ sunt.** Hoc est, quæ omnium suorum auxilio destitutæ sunt, et quæ manibus laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit: quibus Deus spes est, et omne opus, oratio. § **5:4 Parentibus.** Parentes sunt iidem, qui superius filii et nepotes. Unde et in mundana lege parens parenti jubetur per gradum succedere. Quibus mutuam vicem reddimus, cum a patribus educati sumus, et alios pari lege nutrimus. ** **5:5 Desolata, speret.** Videns ex nulla parte se habere suffragium, toto animo est devota Deo, de quo solo sperat auxilium vitæ et salutis †† **5:6 Quæ in deliciis.** Genus est imposturæ honorem viduæ habere velle, et non obsequi Deo et aliud agere, aliud profiteri, cum profiteatur religionem

et est infideli deterior.‡‡

⁹ Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,

¹⁰ in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. §§

¹¹ Adolescentiores autem viduas devita: cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: ***

¹² habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; †††

¹³ simul autem et otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet.

‡‡ **5:8 Curam non habet.** Cura impendenda parentibus, ut Jesus matrem Joanni commendavit. §§ **5:10 Pedes.** AUG., in Tract. 58 in Joan. Faciamus hæc invicem humiles, quod humiliter fecit excelsus, etc., usque ad confirmatur humilitatis effectus. **Sanctorum.** Quorum obsecro? Eorum, qui in tribulatione sunt, non sanctorum simpliciter: possunt enim esse sancti, summoque obsequio ab omnibus foveri. Noli hos prosequi copia rerum affluentes, sed afflictos, et qui a multis ignorantur. Noli præsulī Ecclesiæ ista tribuere partienda, ipse potius ministra, nesolius impendii, verum obsequii præmium percipias: propriis eroga manibus, tu sulcum sere pietatis. *** **5:11 Devita.** Id est, vota castitatis earum non usque adeo cures, ut eas Ecclesiæ alimoniis sustentandas suscipias. ††† **5:12 Habentes.** AUG., de Bono viduitatis, cap. 8, 9, 10. In conjugali vinculo si pudicitia conservetur, damnatio non timetur, etc., usque ad omnis hujusmodi similis est uxori Loth, quæ retro aspexit. **Irritam fecerunt.** Etsi non nubendo, tamen volendo: non quia nuptiæ damnentur, sed fraus propositi, et fracta fides voti damnatur et voluntas, quæ a proposito recedit damnabilis est, sive nuptiæ sequantur, sive non.

14 Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.

15 Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam.‡‡‡

16 Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur ecclesia: ut iis quæ vere viduæ sunt, sufficiat.

17 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina.§§§

18 Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua.

19 Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

20 Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem habeant.†

21 Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.‡

‡‡‡ **5:15 *Conversæ sunt retro Satanam.*** Ab excellenti illo vidualis vel castitatis virginalis proposito in posteriora respiciendo ceciderunt et interierunt. §§§ **5:17 *Qui bene.*** De honore presbyterorum hic agit, quasi dicat: Illud quod dixi de viduis observa: et hoc etiam præcipe de presbyteris, ut presbyteri, qui bene præsunt vita et doctrina, digni habeantur. * **5:19 *Adversus presbyterum accusationem noli recipere,*** etc. Solet qui corripit non amari, et ideo habita occasione facile accusatur. Contra hoc monet, non esse recipiendam de facili accusationem adversus presbyterum. † **5:20 *Coram omnibus,*** etc. AUG., serm. 16 de Verb. Dom. Aliquando debes corripere peccantem inter te et ipsum solum, etc., usque ad quando autem palam peccatur, palam arguendum est. ‡ **5:21 *Testor coram Deo.*** Id est, Deus sit mihi testis, quod animam meam salvavi tibi, cave.

22 Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Te ipsum castum custodi.

23 Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. §

24 Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam autem et subsequuntur. **

25 Similiter et facta bona, manifesta sunt: et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

6

1 Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen

§ 5:23 *Noli adhuc aquam,* etc. Quia castitatem admonuit, hac occasione immoderatam abstinentiam prohibet, quam ipse inierat. ** 5:24 *Quorumdam hominum peccata,* etc. Quia dixerat sine præiudicio nihil faciendum, determinat ubi præiudicium sit necessarium, et ubi non, dividens bona et mala, in manifesta et occulta, quasi dicat: ideo opus est examinatione, quia sicut quædam sunt manifesta, quæ non oportet examinari, ita quædam sunt occulta, de quibus sine præexaminatione non potest fieri præiudicium. *Manifestata.* Hoc dicit de iis, de quibus clarum est quo animo fiant, hæc præcedunt ad iudicium, quia si ista sequitur iudicium, non est temerarium. *Subsequuntur:* Sicut quæ occulta sunt mala ipsa non latebunt tempore suo quando Christi tempus advenerit, quo manifestentur: sic et de bonis. De his ergo iudicemus: illa Dei iudicio relinquuntur.

Domini et doctrina blasphemetur.*

² Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, et exhortare.

³ Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ:

⁴ superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ,†

⁵ conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

⁶ Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.

⁷ Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus.

⁸ Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.

* **6:1 Quicumque.** Sciendum est quosdam prædicasse comunem omnibus in Christo libertatem. Quod de spirituali libertate utique verum est, non de carnali, ut illi intelligebant: ideo contra eos hic loquitur Apostolus, jubens servos dominis suis esse subditos. Ne exigant servi quod de Hebræis dicitur, ut sex annis serviant, et gratis dimittantur liberi, quod mysticum est. † **6:4 Superbus.** Superbia quippe, non eum ratio ducit, cum ad favorem quærendum in conflictum prorumpat, quod a mansuetis et bonis vitatur. **Languens.** Non enim recusando fidem penitus moritur, nec ad veritatis scientiam convalescit, sed quasi repetitis accessionibus languet circa quæstiones et pugnas verborum. **Quæstiones.** Quæstio erat an servus esset, cum omnes ex eisdem patribus orti, et Christus omnes redemerit.

9 Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.‡

10 Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.§

11 Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem.**

12 Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus.

13 Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub

‡ **6:9 Nam qui volunt.** Hoc dicitur his qui volunt et non sunt, ne desiderent. Jam divitibus aliud dicitur, scilicet non superbe sapere, sed dare pauperibus. **Incidunt in tentationem et laqueum diaboli, quia radix omnium malorum,** etc. Non est genus mali quod non ex cupiditate aliquando proveniat, quia radix omnium malorum est cupiditas. § **6:10 Cupiditas.** In Græco habetur. Si ergo avaritia habetur quæ proprie est pecuniæ amor, pro genere quod est cupiditas, ponitur species. **Doloribus multis.** Avari enim tanto plus sollicitudinem cruciatus sustinent, quo amplius desiderant quæ vel habita transeunt, vel quæ habere non possunt. ** **6:11 Tu autem, homo,** etc. Non dicit quod hoc timeat de isto, sed sciebat hoc venturum in manus ecclesiarum. **Hæc fuge.** Nihil enim tam asperum tamque perniciosum quam si vir ecclesiasticus maxime qui sublimem tenet locum, divitiis hujus sæculi studeat: quia non solum sibi ipsi sed et cæteris obest, quibus contrariam dat formam. **Pietatem.** Pietas est ut egenti condescendamus, quod non facit cupidus. **Fidem.** Qui veram fidem habet de Deo, non cupit in miseriis fieri dives, nec pluris est ei mundus, quam Deus.

Pontio Pilato, bonam confessionem,††

14 ut serves mandatum sine macula,
irreprehensibile usque in adventum Domini
nostri Jesu Christi,

15 quem suis temporibus ostendet beatus et
solus potens, Rex regum, et Dominus
dominantium:‡‡

16 qui solus habet immortalitatem, et lucem
inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum
vidit, sed nec videre potest: cui honor, et
imperium sempiternum. Amen. §§

17 Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime
sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed
in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad

†† **6:13 Præcipio tibi.** In Timotheo omnibus successoribus loquitur Apostolus. **Et Christo Jesu.** Exemplo Christi hortatur.
‡‡ **6:15 Beatus et solus,** etc. Hoc non de Patre tantum dicit, sed de Deo qui est ipsa Trinitas. §§ **6:16 Qui solus habet immortalitatem** Habet per naturam, alii ab eo per gratiam. **Inaccessibilem quem nullus hominum.** Quia nullus ad eam ex se accedit sed cui datur, dono ejus datur, quod intelligebat Propheta dicens: **Accedite ad eum, et illuminamini** Psal. 33., etc.

fruendum)***

¹⁸ bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare,

¹⁹ thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.†††

²⁰ O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ,‡‡‡

²¹ quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.§§§

*** **6:17 Divitibus hujus sæculi.** Supra egit de his qui divites volunt fieri, dicens eos incidere in tentationem et laqueum diaboli, hic agit de his qui divites sunt, monens eos non sperare in divitiis. Et quia dixit mala venire ex cupiditate, et contra suasit, ne viderentur divites abjecti, determinat. **Non sublime.** Non expavit Apostolus divitias, sed morbum earum, id est superbiam, quæ est vermis divitum. Grandis animus est, qui inter divitias isto morbo non tentatur. Magnus est qui non se ideo magnum putat, quia dives est. Qui autem ideo se magnum putat, superbus est, egenus est, in carne turget, crepat in corde, mendicat, inflatus est, non plenus. **Ad fruendum.** Temporalia enim in hac vita dat Deus ad utendum, æterna ad fruendum: illa, unde bona faciamus; ista unde boni efficiamur. ††† **6:19 Thesaurizare.** Ad hoc præmittuntur divitiæ non peritura. ‡‡‡ **6:20 O Timothee.** Timotheus, pretiosus Deo. pretiosus, Deus. **Profanas.** Ut est, **hypostasis**, quæ vox se habet ad personam et ad substantiam. Unde et hæretici sub hujus nominis multiplicatione inducere volebant tres esse substantias. Profanas voces intellige quæ sunt contra religionem, aliæ non sunt vitandæ §§§ **6:21 Promittentes, circa fidem exciderunt,** etc. Nihil enim sic amant isti, quam scientiam promittere, et fidem rerum verarum (quas credere parvuli præcipiuntur) velut imperitiam deridere.

Bibbia Vulgata Clementina na 1598
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria
Migne edition 1880 in Latin

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 8 Jun 2026 from source files
dated 12 Dec 2025

7ca33455-379f-554d-a635-9009adb90c5